



Sammlband

I A. f.  
~~177~~ 92.

(1-10)

7+6

# SVPPPLICATIO

QVORVNDAM THEOLOGO-  
RVM, QVI, POST OBITVM LVThERI P.M.  
corruptelis & Sectis, voce aut scriptis contradixerunt, pro  
libera, Christiana, & legitima Synodo, ad Illustrissimum  
Principem, D. D. Johannem Fridericum II. Ducem  
Saxoniae &c. eiusq; C. Fratres, ac alios pios  
Principes & Status Augustanam Con-  
fessionem amplectentes.



QVod Consortium iustitiae cum iniustitia? aut quae  
communio luci cum tenebris? aut quae concordia Christo  
cum Belial? 2. Corinth. 6. An nescitis, quod paululum fer-  
menti, totam massam inficit? Expurgate itaq; vetus fer-  
mentum, vt sitis noua conspersio. Tollite malum de me-  
dio uestri 1. Cor. 5. Si quis igitur aliud Euangelium docue-  
rit, anathema sit. Gal. 1. Haec est vera, & à Spiritu sancto  
sancita norma regendi Ecclesiam, sanandi eius vulnera, &  
conseruandi puritatem doctrinae, non humanae sapientiae  
Amnistia, nunc Sapientibus vsitata.

Anno M. D. LX.

2

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.



**SVPPPLICATIO**  
**QVORVNDAM THEOLOGORVM,**  
QVI, POST OBITVMLV THERI P. M. CORRVP-  
telis & Sectis, voce aus scriptis contradixerunt, pro libe-  
ra, Christiana, & legitima Synodo, ad Illustrissimum Prin-  
cipem, D. D. Iohannem Fridericum II. Ducem Saxo-  
niæ & c. eiusq; C. Fratres, ac alios pios Principes  
& Status Augustanam Confessionem  
amplectentes.



**DOMINVS IESVS MAT-**  
THAEI XV. II POLLICETVR, SE SV-  
is semper affuturum praesentem, vbi-  
que duo uel plures in eius nomine con-  
uenerint, seq; preces eorum, prompte ex-  
auditurum. Ideo, quamuis ille propè sit  
singulis separatim eum ex animo inuocantibus, tamen  
multo magis efficaciusq; integro coetui in suo nomine  
congregato sua praesentia, fauore, ac spiritu adest.

Quare, & olim sancti Apostoli, & semper postea pij  
Doctores, in omnibus grauioribus difficultatibus, praes-  
fertim autem grauioribus haeresibus, soliti sunt Concilia  
& Synodos, in eius nomine conuenientes, celebrare: ac  
non raro salutaria remedia saeuientibus morbis atq; cala-  
mitatibus, auxilio Filij Dei, reppererunt, dum & scripturas  
diligenter scrutantur, et unanimiter ac sedulo de proposita  
controuersia inter sese conferunt, & deniq; preces ad Do-  
minum ardentè ac indefinenter effundunt. Inde est, quod  
saluberrimam esse Conciliorum autoritatem D. Augu-  
stinus pronunciauit.

Cum

Cum igitur nunc quoque, post reuelatum Antichristum, sicut & mox in primitiua Ecclesia, Satan varios pestilentesque errores, corruptelas, Sectas & seductores vndique contra cœleste lumen Euangelij excitet, illique iam impune latissime grassentur, nec uei eorum autores manifesto DEI verbo cedere velint, vel alij quidam facile persuaderi possint, illorum corruptelas tam noxias esse, quidam uero meris conuictijs, aut conuictis etiam terribissimis mendacijs pie monentes hostiliter impetant, infament ac proscindant, amnistiamque flagitent: & omnino multipliciter turbæ dissensionesque crescant: Multi boni putant aliud remedium hisce pestibus tantisque difficultatibus aptius adhiberi haud posse, quam si aliqua legitima & christiana Synodus recte sentientium Doctorum conuocaretur, quæ de presentibus controuersijs ex diuinæ vocis norma iudicaret, easque graui & solenni censura damnatas tolleret.

Sic sanè ante hos quoque annos, prestantes in scripto contra Ratisponense Interim exhibito, clarè grauiterque de discutiendis Ecclesiæ controuersijs hisce verbis pronunciarunt: Diuinum mandatum est (inquiunt) ut Ecclesiæ exorientes controuersias cognoscant, & pronuncient iuxta uerbum DEI rectè intellectum, ut ait Paulus, Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Hæc si tunc uerè pieque senserunt, atque in tam solenni actione contestatæ sunt Ecclesiæ nostræ, cur non nunc quoque iuxta id Dei mandatum sectas erroresque cognoscimus, & anathematizamus, sed insuper ultro eis ac prodigaliter amnistias offerimus, aut etiam obtrudimus?

Scriptum est, nolite fieri participes alienorum peccatorum.

catorum, & tollite malum de medio vestri, Quia modicum fermenti totam massam inficit. Cur ergo, adhibita graui maturaq; cognitione, non expurgatur istud venenatum Satanae fermentum, sed vltro in domo Domini silentio, paceq; in perpetuum Ecclesiae & veritatis exitium, veluti ignis ad domus incendium, occultitur, inuoluitur, & fouetur?

Quapropter, quandoquidem nos quoq; quorum nomina infra scripta sunt, semper optauimus ex animo praesentibus malis salutare aliquod remedium afferri: lam longo tempore tum cupiuimus Christianam Synodum fieri, tum, uti fieret, vbicunq; recte potuimus, institimus: atq; adeo quidam nostrum etiam publicis scriptis (vt taceamus alios pios conuentionum conatus) ad Synodum prouocarunt, promittentes se ibi comparituros, & errores, quos ante voce ac scriptis oppugnarint, coram confuturos, suarumq; actionum & scriptorum rationem plene prompteq; reddituros esse.

Quae prouocationes ac petitiones quoniam hactenus sine omni fructu irritae fuerunt, & mala nihilominus indies magis magisque crescunt, & subinde latius serpunt, Visum est nobis, Princeps illustrissime, tuae fratrumq; tuorum Celsitudini supplicare, eamq; propter D E V M ac publicam vtilitatem reuerenter orare atq; obsecrare, ut pro sua singulari & quasi iam haereditaria pietate Religionisq; cura, prudentia & autoritate apud alios Principes ac status agere atq; instare velit, vt omnino primo quoq; tempore aliqua libera & Christiana Synodus recte sentientium doctorum congregetur, in qua de condemnatione errorum & tollendis controuersijs serio diligenterq; & in timore Dei agatur.

A 3

Ne vero

Ne verò quisquam de nostra voluntate dubitet, aut etiam hanc nostram petitionem cauilletur, neue aliqua malorum arte, vt olim crebro vsu uenit, non tam Concilium quam Conciliabulum, in perniciem veritatis eiusq̃ Confessorum, congregetur, exponemus C. T. plenius ad exemplum imitationemq̃ consultationum & formularum, hactenus de hac re in actionibus cum pontificijs à nostris Ecclesijs conscriptarum, qualemnam Synodum fieri expetamus, & utilem Ecclesiae Dei fore censeamus.

Non sine causa autem diligentiam hanc cautionemq̃, quam semper hactenus Ecclesiae nostrae prudenter ac vtiliter adhibuerunt, nunc quoq̃ adhibendam esse existimamus. Vidimus enim consilium superiori anno à celebri Theologo Principi cuidam de congreganda Synodo datum, & passim per Germaniam oraculi coelestis instar sparsum, quo suadetur, ut Principes aliqui prius concludant, quid in Synodo comprobari velint ( accepta nimirum ab eo formula decreti ) postea demum conuentum Theologorum conuocent. Quam fraudem astutumue stratagemam etiam Pontifex Romanus in suis Synodis vsurpare solet: ita, vt postea Episcopi in Synodo nihil aliud canant, nisi PLACET, siue id probet, siue improbet ipsorum conscientia & Dei verbum. Quae tyrannica impostura nequaq̃ est ferenda, multò minus imitanda: Nec profecto Ecclesiam Dei, vel saltem sanae honestaq̃ mentis homines decet.

Hanc nihilominus nostram piæ atq̃ salutaris Synodi eiusq̃ conditionum, ex verbo Dei ( vt nos quidem sentimus ) sumptam descriptionem, non ita proponimus, aut mordicus etiam retinemus, tanq̃ qui vel nos solos sapere, vel ius



vel ius de tantis rebus spretis alijs statuendi habere sentiamus: Sed pio & pro veritatis incolumitate sollicito animo sententiam nostram Celsitudini tuæ alijsq; Principibus & statibus indicamus, & ad deliberandum proponimus, parati alijs ex verbo Dei, aut hæc corrigentibus, aut alia meliora, reiectis hisce, proponentibus cedere, obsequi, ac obtemperare: atq; ita non nostram aut etiam aliorum hominum, sed Dei solius vnâ cum alijs sententiam voluntatemq; in re tanta sequi atq; exequi.

SVNT vero in hac consideratione, nostro quidem iudicio, quatuor potissimum quæstiones explicandæ, quæ vbi euolutæ fuerint, omnia maxime necessaria complectentur explicatæq; proponent.

I.

Quis nam proprius ac primarius scopus, finis, aut usus huius Synodi esse debeat.

II.

Quæ controuersiæ primum ac precipue ibi tractandæ sint.

III.

Quinam Doctores aut personæ ad eam conuocari debeant.

IIII.

Quo ordine & qua forma processus causæ proponendæ, cognoscendæ, dijudicandæ, concludendæ, ac demum exequendæ sint.

Ante omnia vero de loco Synodi quoquomodo tua Celsitudo alijsq; Principes (quorum maior quam Theologorum in hac re est habenda ratio) pro suo commodo de-

A 4

libera

liberabunt. Illud certè observari debebit, ut medius aliquis locus deligatur, quò, & quæ ad mare Balticum, in Prussia, aut etiam in Dania sunt Ecclesiæ, & quæ sunt in Suevia, suos eò commodè mittere possint.

De alijs uero loci commoditatibus, & præsertim, ut sit tutus personis & causæ veritatis, nihil iam dicemus. Hoc enim etiam sine nostra admonitione ius ipsum causæq; extrema flagitat necessitas, Sicut & illud, ut conuenturis Theologis sumptus & saluus conductus, seu fides publica præstetur.

Illud quoq; vel maximè & ante omnia alia dici agiq; deberet, cum ne minima quidem negotia, nedum longè maxima sine ope atq; diuino auxilio singulari effici vtiliter queant, & nusq; non Satan & mali homines bonis atq; pijs conatibus improbè sese obijciant, omniaq; mille technis inuoluant & implicent, ut statim initio ac primo quòque tempore mandetur passim Concionatoribus, ut excitent auditores ad assiduas ardentescq; preces pro hac Synodo, quibus id à cœlesti illo Patre atq; unico bonorum omnium fonte propter Filium eius petatur, ut ille huic Synodo interesse, immo præesse, omnia regere, agere, eoq; remotis omnibus obstaculis dirigere velit, ut veritas repurgata consistat, ab omnibus accipiatur & approbetur: Et e contra omnes errores, corruptelæ, & pertinaces Seductores ex Ecclesia, quæ est esseq; debet Columna veritatis, & impolluta Sponsa Christi, explodantur & in omnem æternitatem anathematizentur: Quo illustrata veritate, sublatis & scandalis nomen eius rectè sanctificetur, eius Regnum amplietur ac inualescat, & vbiq; ipsius, non Satanæ ac malorum hominum voluntas fiat.

I. Caput.

## I.

**P**RIMUM IGITUR DE FI-  
NE, VSU, ET SCOPO CONSTI-  
tuendum est, ad quem omnes huius Synodi  
rationes, consilia, conatus & actiones diri-  
gendæ, ac veluti sagittæ essent collimandæ.  
Ex fine enim omnes deliberationes & actiones tanquam  
ex suo quodam primario principio dependent. Quin &  
Deus ipse pium salutaremque scopum aut finem in suo co-  
natu habentibus propitius atque opitulator adesse solet.

Valde enim veremur, ne (quod etiam Lutherus non  
solum sæpè monuit, sed & fore, diuino Spiritu afflatus, præ-  
uidit ac prædixit) aliqui politicis consilijs & pithanolo-  
gijs fascinati, & insuper abijs, qui à recta via declinarunt,  
suasque scditates quacunque ratione aut iure tegere conan-  
tur, impulsivi, id tantum agant & spectent, vt palliatiua qua-  
dam cura, & ueluti sola cutis obductione aut incrustatio-  
ne vulnera Ecclesiæ sanentur, & ut quoquomodo certa-  
mina sopiantur, vel silentio ac obliuione, uel etiam ambi-  
guis formulis & cothurnis utriusque parti utcumque conueni-  
entibus, uel denique confusionibus aliquibus uerarum &  
falsarum sententiarum magna arte picturatis atque fucatis.  
Id enim carnaliter sapientes iudicant summum eximiumque  
bonum esse, si sit in externa societate Ecclesiæ qualiscunque  
tranquillitas, sique quam plurimi Potentes ac prouinciæ  
externa specie sibi inuicem coniuncti esse uideantur. Li-  
cet interea non tantum clam in animo, sed & propalam in  
Ecclesia diuersissimas aut etiam contrarias sententias pro-  
fiteantur, Religio contaminetur, conscientia illaqueen-  
tur, & gloria Dei violetur.

**B** Nos

Nos igitur contra discamus ex uerbo Dei, nobis ante ac super omnia mandatum esse, ut cœleste eius Depositorium fidelissime custodiamus, omnesque errores & abusus tanquam venenata Satanæ fermenta detestemur, ac ex Ecclesia Dei conscientiaque nostra quam purissime usque ad minimam micam expurgemus & explodamus.

Sicut igitur & illius primi Apostolici & postea omnium piorum conciliorum hic primarius finis aut scopus fuit, ut in controuersis materijs ueritatem omni studio ac diligentia inquirerent, ab erroribus accurate separarent, & denique hanc omnibus amplectendam sequendamque perspicue proponerent ac commendarent, & contrarios errores atque sectas refutarent, ac publice, quo ab omnibus agnoscere cauerent possent, anathematizarent: Ita hoc idem & in præsentis Synodo omni cura, consilio, ac conatu, in timore DEI agatur. Hicque sit vnicus finis ac meta totius huius consilij omniumque eius partium, quem certaminum, dissidiorum, atque scandalorum extirpatio ultro suaque sponte Deo dante consequetur.

## II.

**S**ECUNDO CAUSAE SVNT ILLAE stantum tractandæ, quæ ad publicum bonum pertinent, quæque antea non sunt à nostris Ecclesijs dijudicatæ. Nã si quis uellet eò etiam prius dijudicatas causas trahere, is & maiorum nostrorum iudicia, haud dubie à Spiritu sancto profecta, & ab Ecclesijs nostris hætenus approbata rescinderet, & Maiores nostros, Zelo pietatis rerumque diuinarum cognitione atque constantia nobis longe superiores, condemnaret, cum ingenti scandalo, tanquam qui temere, reque non satis cognita atque perspecta de multis  
grauis

grauissimis causis Religionis pronunciatuerint. Confirma-  
rent item Sectarios, languerent nostros, & demum cu-  
mularent ingentem molem negotiorum, quam nobis ibi  
expedire impossibile foret. Et in summa sic non minue-  
remus, sed adaugeremus, certamina, scandala & turbas.

Sunt uero Controuersia huius temporis iam olim diu-  
dicatae ac damnatae, cum primis Seruetianismus, Schuuenk-  
feldismus, Antinomia, Error Sacramentarius, Anabaptis-  
mus & Osiandrismus.

De Seruetianismo nemo dubitauerit damnatum esse.

Schuuenkfeldismus uero condemnatus est in Confes-  
sione Augustana sub nomine fanaticorum, numero V. I-  
tem sub nomine Donatistarum, numero VIII. Damnatus  
est & Smalkaldiae, tum in ipsis Articulis, capite de Confes-  
sione, tum & separato scripto, quod postea editum est. Dam-  
nat hunc furorem & Vuirtembergica Reformatio diserte  
ac nominatim. Item nostrae Ecclesiae ac Doctores, Luth-  
rus & alij.

Impium Antinomorum errorem à Luthero pia memo-  
riae omnibusque nostris Ecclesijs damnatum, & à suomet  
autore reuocatum esse, certè omnibus constat. Volebant  
uero illi, poenitentiam seu contritionem ex Euangelio,  
non ex Lege doceri debere. Eodem sanè necessario perue-  
nient volentes aut nolentes, scientes aut imprudentes om-  
nes, qui definitionem, Euangelio praedicationem poeniten-  
tiae attribuentem, ut propriam soli promissioni Gratiae, de-  
fendunt. Quare & ea res certò explicanda & definienda est.

Anabaptismum esse damnatum, in Confessione Augu-  
stana, non semel sed saepius, nemo ignorat, qui eam uel ob-  
ter inspexit: praesertim ac nominatim habetur de eo, nu-  
mero V, IX, XI, XVI. &c.

B ij

Sacramen

Sacramentarium errorem etiam damnatum esse inde apparet, quod illi, qui tum eam opinionem sequebantur Augustanae Confessioni, tanquam sibi aduersae, in comitijs Augustanis, Anno X X X. subscribere noluerunt: quodque verè exhiberi ibi corpus Christi in ea Confessione dicitur, cum Cingliani tantum typicè, significatiuè, & Metonymicè contendant. Item quod in eadem eodemque capite in prioribus & praesentibus quoque non deprauatis editionibus disertè fuit adiectum, Et damnant contraria docentes. Qua appendice non possis alios intelligere aut etiam somniare, quam Sacramentarios: de quibus etiam nostrae Ecclesiae semper eam particulam intellexerunt.

Apologia porro etiam clarius eundem errorem damnauit. Dicit enim, totam Ecclesiam Graecam & Latinam sensisse, quod Christus adsit in Coena verè, corporaliter, & substantialiter. Damnatus est hic error etiam in Smalkaldicis Articulis, vbi breuiter & dilucide nostrarum Ecclesiarum doctrina refertur, & clarè dicitur quod etiam indigni Corpus & Sanguinem Domini percipiant.

Ab omnibus alioqui hisce Ecclesijs, praesertim autem à Luthero, piæ memoriae, publicis Scriptis & passim à Concionatoribus totius Germaniae, quae cis Rhenum est, damnatum esse omnibus constat. Damnauit eum etiam Bucerus publica Reuocatione ore ac Scripto facta. Damnatus est & in ordinatione Vuirtembergensi. Damnatus est in formula concordiae Vuirtembergae factae inter Lutherum & Concionatores superioris Germaniae. Cuius Formulae quidam in subscriptionibus Smalkaldicorum Articulorum mentionem faciunt. Denique in publicis etiam comitijs Imperij aliquoties sunt communi consensu utriusque partis omniumque Statuum damnatae tres istae Sectae, Anabaptistica, Schuuenckfeldica, & Sacramentaria.

Quod

Quod si qui sunt, qui dicant, se non cum Zuuinglio sentire, nec tamen nostram sententiam in hac sola re comprobare posse, ij, cum damnauerint diserte nobiscum errores illius à Luthero p. m. Augustana Confessione, Apologia & Smalkaldicis Articulis condemnatos, nobisque in alijs omnibus sese adiunctos profitebuntur, audiantur, & opinio eorum diiudicetur.

Oscandriissimum quoque inter damnatas Sectas merito censeri debere manifestum est. Damnatus enim est legitime ac ordinarie, petente eius loci, in quo error hic exortus est, Principe de Osiandri consensu iudicia à Prutenica Ecclesia, à Dantiscana, Pomerana, Mechelburgensi, Saxonica, Brunsvicensi, Magdeburgica, à Marchiticis, quæ sunt sub utroque Principe, à Vuirtembergensi & Lipsica. Item ab ijs, quæ tunc sub Augusto Principe fuerunt, à Thuringica, Norica & Vuirtembergensi; & demum ab ipsismet eius Doctoribus, qui eum præsentè Duce prussiae, & D. Mechelburgensi, ut eius C. edita epistola testatur, reuocarunt.

Extant etiam publica decreta Illustrissimi Principis Ducis Prussiae, non obscure eum errorem damnantia, utpote, quæ disertissime mandent posthac docendum, nostram iusticiam esse Remissionem peccatorum sanguine Christi partam.

Hæc omnia iudicia sunt publicis ac plenis Scriptis solidoque Dei uerbo firmatis conscripta ac promulgata, ut uel unū tantum eorum Christiano homini, omnem dubitationem, quid uerum aut falsum in hac controuersia sit, eximere queat.

Verum, quoniam quidam de Vuirtembergensi Ecclesiae Doctoribus dubitant, an ipsi quoque hanc Sectam

B. iij,

errorem

erroremque damnauerint aut approbauerint, breuiter ex  
eorum vltimo impressoque iudicio probabimus, eos quoque  
que istam pestem reiecisse ac condemnasse. Nam ita scri-  
bunt in publicato de ea re libro.

### Pauli Lere von Gerechtigkeit vnd Rechtfertigung.

Wir halten auch/das S. Paulus/da er zu den Römern  
im ersten Capitel saget /das im Euangelio die Gerechtig-  
keit/so für Gott gilt/geoffenbaret werde /Vnd im dritten  
Capitel / die Gerechtigkeit/die für Gott gilt/werde on zu-  
thun des Gesetzes geoffenbaret/Vnd hernach der Mensch  
werde gerecht / one des Gesetzes werck / allein durch den  
Glauben/zuerstehen sey / nicht von der wesentlichen Ge-  
rechtigkeit Gottes/die Gott selbs ist/Sondern von der ver-  
zeihung der Sünden / vnd von dem Gehorsam vnd der  
Gerechtigkeit Christi / mit welcher Gerechtigkeit er das  
Gesetz/vnd Gottes willen genug gethan/Welche Gerech-  
tigkeit auch Gott/so wir an Christum glauben/vns zurech-  
net / das wir vns derselben/als vnsers von Gott geschens-  
cken eigen guts für Gottes gericht vertrosten sollen.  
etc.

Item. Aber darin thut Osiander/ vnsers bedenkens/  
der sachen zuviel /Das er die Schrifft des heiligen Apo-  
stels Pauli zu den Römern / vnd fürnemlich die Wort/  
iusticia DEI & iustificari in dem ersten vnd dritten Capi-  
tel anders deutet/denn die **ZEVPTSACHZ** der Dispu-  
tation Pauli auff jm treget / vnd wil mit denselben Sprü-  
chen vnd dergleichen seine meinung bestetigen etc.

Aber des Osianders widerpart hat in diesem recht/  
das sie **FEST** helt ob dem **RECZTVER-  
STAND** der wörter vnd Sprüchen Pauli Rom. 1.

vnd



vnd 3. Iusticia DEI & Iustificari / Denn Iusticia Dei heist  
an den bemelten orten Pauli / nicht die wesentliche Gerech-  
tigkeit Gottes / Sondern die Gerechtigkeit / die für Gott  
gilt (das ist) die Verzeihung der Sündē / Die der Herr Chri-  
stus mit seinem gehorsam erworben hat / Vnd Iustificari  
heist daselbs / nicht wesentlich gerecht werden / Sondern  
von den Sünden absoluir vnd ledig gesetzt / auch für Ge-  
recht von wegen des gehorsams Christi für Gott gehal-  
ten werden etc.

Item. Wenn man aber das Wort (gerecht werden)  
verstehen wil nach der **2 ER 2** Pauli zu den Römern  
für die Verzeihung der Sünden / die wir durch den Glauben  
an Christum haben / So ist es **NICHT RICHTIG**  
geredt / das wir **GERECHT** werden durch die **WESSENT-  
LICHE** Gerechtigkeit Gottes / Sondern  
wir werden gerecht / das ist / wir empfangen die Verzei-  
hung der Sünden durch den gehorsam Christi / durch  
das leiden vnd Tode Christi. Denn nicht die wesentliche  
Gerechtigkeit Gottes / Sondern Ihesus Christus warer  
Gott vnd Mensch ist für unsere Sünde gestorben / vnd  
auff diesen verstand wird die **2 ER 2** **PAULI** zu  
Römern vnd dergleichen locis von den **WIDER-  
SÄNDIG** Osiandri **RICHTIG** vnd **CHRISTLICH**  
verteidigt.

Hic clare & expresse audimus Vuirtembergicum ius-  
diciū asserere, quod Paulus eo loco, quo potissimum ius-  
ticiam, qua peccator iustificatur, describit & depingit,  
non cum Osiandro, aut eius doctrina de substantiali iusti-  
cia consentiat, sed potius cum aduersarijs eius. Vnd das  
nicht **RICHTIG** geredt sey / wir werden gerecht durch die

B iij

**WESSENTLICHE**

WESSENTLICHE gerechtigkeit/ wie Osiander  
geleret.

Igitur facile, & sine vlla hæsitacione, aut contradic-  
tione huic adijcietur porro, quod ipsemet Paulus præcipit,  
nempe, quod is, qui aliter quam selectum Dei organon  
Paulus doceat, præsertim in summo Iustificationis Arti-  
culo, vt Osiander fecit, sit Anathema, Maranatha, id est ex-  
trema maledictio.

Nec est, quod quis dicat, agi in hac censura de solo ab-  
usu testimonij Paulini. Non ita est. Totum certamen in  
eo situm est, An Paulus describens, iustitiam Peccatoris,  
Rom. 1.3. & 4. afferat, nos substantiali Dei iusticia, ut vo-  
luit Osiander, aut remissione peccatorum merito Christi  
parta iustificari, ut eius Aduersarij nostræque omnes Ec-  
clesiæ sentiunt. Qui ibi vicit, ille penitus uicit. Nam ibi est  
principalis locus totius Pauli, quod ad imputatiuam iusti-  
ciam attinet. Ac prorsus talis ratio est, ac si diceremus, to-  
tum certamen de re Sacramentaria esse, An uerba cœnæ  
hoc uel illo modo, propriè aut figuratè intelligi debeant.

Nos haurimus doctrinam nostram ex fontibus Isra-  
el. Si quis principales fontes materiarum perturbat aut  
corrumpit, ille etiam ipsa flumina conturbat. Proinde cū  
Vuirtembergicum iudiciu testetur, Paulum in suo pri-  
mario fonte aut descriptione iusticiæ ab aduersarijs Osi-  
andri rectè intelligi ac defendi; Contra uero ab ipso Osi-  
andro male peruerti, Necessario Osiander ab eis ut aduer-  
sarius paulinæ doctrinæ condemnatur.

Quandoquidem igitur tum aliæ Ecclesiæ, & haud du-  
bie etiam Principes, sicut Ratisponensē *Nebenabschied*  
testatur, eum condemnauerunt, & adhuc in sua condemna-  
tione persistunt, tum denique & ipsa Vuirtembergica Ec-  
clesia,

eleſia, de qua ille maxime eſt ſolitus gloriari, optimo iure  
eius error pro condemnata hæreſi & ad iudicium non am-  
plius reuocanda ab omnibus pijs haberi, eoque nullus illi  
locus porro in Synodo relinqui debet. Quod ſi qui eo ue-  
nerint, qui eam omnino tueri volēt, audiantur ſane (Quan-  
doquidem hæc Secta ex damnatis omnium eſt maxime re-  
cens) poſt expeditas præcipuas controuerſias, eiſque ra-  
tio priorum damnationum, in quibus conſtanter perſiſ-  
tendum eſt, reddatur, ne ſibi iniuriam factam quirantur.

Reſtant ergo adhuc tres errores, Adiaphoriſmus, Ma-  
ioriſmus, & Synergia, ſeu liberum arbitrium. Qui & ipſi  
quidē in noſtris Eccleſijs iam olim damnati ſunt. Nam libe-  
ri arbitrij ſynergia eſt unus ex primis articulis contra pa-  
piſtas oppugnatis. Adiaphorica autem colluſio cum An-  
tichriſto eſt condemnata ab Euangelicis Statibus & Theo-  
logis in comitijs Auguſtanis anno XXX, & Ratiſponæ,  
anno XLI, cum ſimiles Conciliationes reiectæ ſunt. Item  
in Smalkaldicis articulis.

Maioriſmus eſt, anno XXXVI, Vuittembergæ à Lu-  
thero & alijs in publica Diſputatione reiectus, & expun-  
ctæ de ea re dictata Philippi in primam ad Timotheum.  
Et denique fuit poſtea ſemper à noſtris Eccleſijs proſcrip-  
tus. Hi inquam errores etſi ipſi quoque iam antea fuerunt  
proſcripti: tamen ſolennem damnationem requirunt.  
Quia id aliquibus non adeo ſolenniter aut legitime factū  
eſſe uidetur. Adhæc, quia in proxima perſequutione reuix-  
erunt, deque his Papiſtæ maxime gloriantur, & quaſi præ-  
paratio ſunt & introductio ad totum Papatum, atque adeo  
præcipua & pene vnica cauſa, cur papiſtæ iam maiori ſu-  
perbia, fiducia, violentiaque urgent extirpationem Euan-  
gelicæ doctrinæ, & reſtitationem Papatus: Ideoque Ec-  
cleſijs noſtris etiam in poſterum maxime oberunt. Eis ſa-

C

ne

ne nō sublati & condemnati nec unanimiter, nec secure,  
nec feliciter contra Papistas pugnari potest. Quid enim p  
dest foris Papatum oppugnare, & in corde aut medullis  
Religionis ac Ecclesiae nostrae eum pati reuiuiscere ac re  
florere? Quapropter repetatur sane de eis iudicium.

Hisce igitur tribus controuersijs, discutiendis potif  
simum primoque loco in proposita Synodo omni cura in  
cumbatur.

Quod si hisce bene cognitis ac discussis tantum ad  
huc temporis & pacis supererit, & Principibus ac Theolo  
gis insumere libuerit, agatur sane & de alijs rebus, ut de Ec  
clesiae politia, iudicijs, ac disciplina: De ira DEI ac poenis  
imminentibus; De tetrionibus ac magis ingruentibus sce  
leribus & alijs, quae forte alij utilia proponant, Ita tamen,  
ut ad publicum bonū spectent, non sint priuatae lites, quae  
a suis Magistratibus, Superattendentibus, & Consistorijs  
dirimi possunt.

Quod si uel Adiaphoristae, uel alij queri uolent de acer  
bitate, aut iniurijs aliquorum, liceat & alijs vicissim eodē  
iure contra eos experiri. Ingens profecto ac foeda licentia  
est, nunc quiduis blaterandi, confingendi, & publicis scrip  
tis spargēdi de Doctoribus, & in rebus ac criminibus nihil  
prorsus ad Religionis puritatem pertinentibus. De qua e  
rit in tali Synodo serio ac grauiter agendum, tum ut ista  
propudiosa ac plus quam scurrilis uanitas eorū, qui hacte  
nus hoc flagitij genere in doctorum famam & vitam, non  
sine horrendis scandalis, in Ecclesia sunt grassati, punian  
tur: tum, ut & in posterū tam detestanda pestis caueatur.  
Nam sicut libertas non vulgaris sanis Doctoribus conce  
di debet, in disputando, ore, ac scriptis de Religionis con  
trouersijs, quia id & Dei mandatum, & Ecclesiae necessitas  
postulat.

posiulat, ita contra nullo modo ferendum est, ut ea degeneret in scurrilem maledicentiam, ubi ommissa causæ ipsius tractatione ad priuatorum probrorum enumerationem aut obiectionem, meraque conuitia more scortorum aut ebriorum rusticorum deueniatur. Quæ disputandi ratio iam à quibusdam in publicis scriptis adhiberi solet: tamen si hoc scelus tam crassum sit, ut uel Ethnicus Magistratus id diiudicare ac punire possit & debeat.

Nec recusamus quoque in tali conuentu omnium nostrarum actionum, scriptorum, & Sententiarum rationem reddere, modo ut eadem ac par sit etiam aliorum conditio. Neque enim defugimus iudicia Ecclesiæ, aut (ut quidam falso blaterant) de omnibus iudicare uolumus, & neminem audire, aut à nemine iudicari, Quin potius, quæ hactenus de Adiaphoristis & alijs seductoribus scriptis affirmauimus, ibi coram voce probaturi sumus.

Cæterum quod supra diximus de controuersijs, iam olim rite diiudicatis & damnatis, ne iterum in integrum restituantur, neue iudicia de eis iterentur, sed potius prius à nostris Ecclesijs ac Maioribus facta confirmentur. Hoc propter causas supra indicatas, & alias erit necesse omnino obseruare.

Verum, quia Petrus præcipit, ut simus parati reddere fidei nostræ rationem omni postulanti, Ideo, si post alia transacta prædictæ Sectæ omnino flagitauerint, sibi rationem reddi de pridem factis condemnationibus ipsorum, exponantur sane eis plene, ne præter alia gloriantur etiam, nos diffisos de causa, lucem congressumque eorum defugisse, aut vi iniuriaue cum eis olim esse à Maioribus nostris actum.

C ij

Tertium

**T**ERTIVM CAPVT EST DE PERSONIS conuocandis. Vbi primum, quæ attinent ad eam quæstionem, An etiam politici homines Synodo interesse debeant, quos Papistæ solent contra ipsorum proprium ius canonicum excludere, non disputamus, modo eius rei aliquis modus sit ac ratio.

Deinde, quoniam ista Synodus debet constare tantum ex ijs, qui sunt Augustanæ Confessionis, ideo Papistæ Sectarijque omnes, quorum errores legitime prius, ut dictum est, condemnati sunt, inde summa grauitate diligentiaque excludantur.

Tertio. Nemo in eam recipiatur siue sit politicus siue Ecclesiasticus, nisi qui prius ibi serio & diserte profiteatur se probare ac recipere Confessionem Augustanam, eius Apologiam & Smalkaldicos articulos. Item qui consentiat in prædictarum Sectarum iam olim factam damnationem.

Quarto. Nemo à Principibus admittatur ulla ratione, siue pro ludice, reo, aut actore ad hanc Synodum, nisi qui iuret, se sincere & ex animo ibi veritatem, iuxta normam verbi Dei, trium Symbolorum, Augustanæ Confessionis, Apologiæ, & Smalkaldicorum articulorum, promoturum, omnes errores & eorum autores ac patronos pertinaces oppugnaturum, Et denique verum spiritualeque commodum Ecclesiæ quæsiturum.

Quinto. Singulas personas eo uocandas nominare nec possumus, nec forte debemus. Sed tamen actores, & rei principaliores harum trium controuerliarum necessario vocari deberent. Item omnes Theologi ac concionatores, qui in persecutione & alijs difficultatibus Dei gratia constantes permanserunt, & qui ardenti zelo ac pietate, & spirituall

spirituali quadam cognitione sacrarum literarum & alijs donis, præsertim ad dignoscendos spiritus & doctrinas vtilibus diuinitus sunt ornati.

Nec hic respiciatur, an sit Doctor, Superintendens, Pastor aut Diaconus, Præceptor aut Discipulus. Ex quibus circumstantijs spiritus ac dona Dei non pendent.

Eadem ratio deberet quoque Politicorum esse, qui Synodo admiscebuntur.

Vltimo, Cauendum igitur erit in conuocandis idoneis personis ad Synodum, ne qui inutilem turbam ambitione quadam, aut studio uincendi numero, congerant, ne ue ob potentiam ciuitatis uel Principis, uel ob auctoritatem & timorem uariæ eruditionis plures aggregentur, ne glectis alijs uere pijs, constantibus, ac sanæ doctrinæ serijs que zeli Doctoribus & Confessoribus, Et politicus honor aut dignitas, non uera ac Spiritualia dona respiciantur.

### III.

**Q**uartum caput est de forma totius actionis ab initio usque ad finem. Quæ cum multiplex sit, non facile est eam circumscribere. Hic uero res maximi momenti agitur, summaque est prudentia aduigilandum. Non enim omnino male, etiam Luthero teste, D. Gregorius cognomento Theologus queritur, plerumque synodorum exitus esse infelices. Quia nimia sit Doctorum philonikia & philargia, rixositas, & dominandi cupiditas. Hoc sane tempore, si unquam alias, duo contraria mala, tyrannicus fastus & seruilis prosopolepsia mira concordia in Ecclesia Dei, prorsus, ut olim in Papatu, ingens damnum ueritati ac Religioni dant.

Alij enim doctores adeo quodam Regio spiritu tumens, ut quidlibet pro arbitrio agere, dicere, ac docere audent, Alij contra tam seruili prosopolepsia fascinati iacent,

C ij

ut

ut nihil non ab illis eximijs dictum uel sine omni dijudicatione, uel etiam contra conscientiam comprobent. Quæ duo ingentia mala si non caueantur, plurimum periculi sunt in Synodo ueritati allatura.

Vt igitur eis aliquo modo obuietur ac resistatur, dicendum est de quibusdam regulis, nostro iudicio, ueritati utilibus, quæ nobis iam incidunt. De alijs proculdubio alij sapientiores monebunt, & de aliquibus forte in re præfenti de communi consensu deliberabitur & statuetur: Tametsi de omnibus prius statui multo tutius commodiusque esset.

Primum. Tota actio, omnesque eius partes eo directa atque ita formata sit, ut ad ueritatis conseruationem, errorum extirpationem, gloriam Dei, & publicam ueritatem spectet, & referatur. Hic enim primarius finis ac scopus esse totius huius Synodi, ut supra est dictum, deberet.

Secundo. Scribit Philippus in germanica præfatione Ratisponensis Interim, non raro id accidere, ut aliquot Potentes cum paucis Theologis confusurent & conspirarent, seu, ut ipse inquit, *die böpffe zusammen stecken* / & Religionem pro suo arbitrio forment, inconsultis alijs. Quod & hoc tempore a quibusdam agi uidetur. Tales igitur conspirationes, omnino in pia Synodo cauendæ sunt.

Tertio. Sumatur temporis satis ad agendum & cognoscendum, ne quid, ut fieri solet, temere, inconsideranterque præcipitetur, neue quis tardior, nimia festinatione, & aliorum industria, aut etiam astutia, obruatur & opprimatur.

Quarto. Omnes, qui quoquomodo huic Synodo adiungentur, aut aliquid in ea agent, sacrosancto iuramento grauissime obligentur ad inquirendam & promouendam  
uerita



Veritatē omni studio ac diligentia, & ad extirpandos erro-  
res, nulla penitus ullius hominis aut affectus habita ratio-  
ne, vt & paulo ante dictum est.

Quinto. Dicendum esset de Præsidentibus ac Guberna-  
toribus, qui siquæ aliæ personæ maxima pientissima-  
que diligentia deligantur, certis legibus instruantur, gra-  
uissimoque iuramento in sententiam modo indicatam ob-  
stringantur. Vtile uero admodum, uel necessarium potius  
esset, ipsosmet Principes uel omnes, uel aliquos saltem eo-  
rum interesse: immo aliquos ex eis præesse Synodo, quo  
& modestius & quietius omnia agerentur, & quorundam  
importunitas, ambitio, & imperiositas reprimeretur, om-  
niaque tanto magis ordine iuste, modeste, ac pie ageren-  
tur. Et denique, quo ipsi audita vtraque parte tanto cer-  
tiores essent, quidnam uerum aut falsum, in istis contro-  
uersijs esset, eoque rectius & securius pronunciare, ac exe-  
qui, quæ iusta piaque sunt, in suo Regimine ac Regione  
possent.

Sexto. Norma iudicij sit in iure seu quatenus de facti  
aut sententiæ qualitate disputatur, Verbum DEI, tria Sym-  
bola, Confessio Augustana, Apologia, & Smalkaldici Ar-  
ticuli. Aliquid ualeant, & primitiuæ Ecclesiæ Concilia,  
aliaque piorum hominum scripta ac sententiæ: Non ta-  
men tantum, ut ullo modo cum verbo Dei comparentur.  
Lutheri nihilominus constans & perpetua sententia, tan-  
quam electi organi Dei ad instaurandum Euangelium  
diuinitus hoc tempore excitati, seu ultimi Eliæ, plus alijs  
valeat.

Septimo. In Synodis olim plerunque ita factitatum es-  
se uidetur, ut proposita quæstione, mox omnes Patres or-  
dine de ea consulerentur, quid nam singuli sentirent. Vtri-

C. iij. lius.

lius uero longe futurum existimamus, ut mox, post propositionem, disputatio accurata, ex verbo Dei, de proposita Controuersia, inter actores & reos, dialectica potius ratione quam Rhetorica, instituat. Qua ita pie, & solerter quaestio examinetur, ut uerbum Dei conuincens & cōstringens errantem, omnibus monstret, quid sit uerum quid falsum, in proposita controuersia.

Qua peracta, tum demum ita Theologi, aut conuocati dicant, suam quoque quisque sententiam, non ut aliquid suo arbitrio, ut politici Iudices, statuunt, sed ut uincenti & praelucenti eis uerbo Dei assentiantur, & applaudant, comprobata sua sententia, non modo suffragio, sed etiam autoritate Scripturae, qua, ut ei sententiae assentiantur, diuinitus se moneri cogique censeant, ne quicquam sine uerbo Dei, aut, ut Scriptura loquitur, inconsulto ore Domini in tantis rebus decernatur.

Octauo, Ex actoribus & Disputatoribus, seu ex ijs, qui hactenus errores scriptis oreque oppugnarunt, non plures, quam tres aut quatuor ex dijudicationis suffragiis iure excludantur, Contra uero manifesti rei plerique omnes uel saltem principales. Huius diuersitatis sunt multae graues causae, ut puta, quia actores non debent esse suspecti de prauis affectibus; ut pote quibus nihil priuatim boni ex ea re quaeratur, sed tantum publicum bonum spectent. Contra reis ex uictoria quaeritur honos, ne uicti pro Seductoribus habeantur. Videndum enim, ut ueteres Iurisprudentes dixerunt, CUI BONO. Et cum accusatores publicum bonum quaerant maximo suo incommodo & periculo, quae plerumque Confessores comitantur, Ideo id eis ueritatique fraudi esse non debet.

Præterea, cum de nullo foedo dogmate sint uerissimiliter infamati, ex charitate credendum est, eos bono Dei Spiritu

Spiritu agi. Contrarium iudicium est de reis tot errorum nomine constanter infamatis.

Adhæc, cum nunc inter reos veniant viri non vulgares, quorū gratia ac fœda prosopolepsia innumeri demerati sunt, quod propalam est, & à nemine potest negari: Contra uero oppugnatores Sectarum à plurimis odio habeantur, ut solet veritatem dicentibus accidere, & olim Prophetis, Christo & Apostolis, atque Patribus præcipuis accidit. Ideo merito tali æquitate ipsi causæque Religionis subleuandæ sunt.

Denique, cum non tantum Doctores, sed & omnes omnino homines, ueræ pietatis amantes erroribus resistere, & quam primum Seducatorem aliquem cognouerint, eum pro Anathemate habere teneantur: Cumque plerunque pauciores sint boni, sinceri, intelligentes, & constantes Doctores, fit (Cuius rei & in primitiua Ecclesia habemus exempla) ut aliquando plerique omnes boni oppugnent Sectas ante Synodum, ut uerbi gratia, nunc Seruetum, Schuuenkfeldium, Osiandrum. Qui si omnes excluderentur, relinqueretur iudicium de grauissimis causis Ecclesiæ in manu ac potestate indoctorum, frigidorum, aut etiam malorum, canum mutorum & simulatorum. Vnde porro manifestus interitus expectandus veritati esset.

Nono. In hac cognitione nequaquam valeant illæ iuridicæ regulæ, iura vigilantibus subueniunt: & iudex debet tantum iudicare secundum dicta & allegata. Non enim æquum est, somnolentiam, uel donorum tenuitatem illorum, qui causas Religionis agunt in Christiana Synodo veritati detrimento esse. Quare non tantum ius ac fas fit iudicibus percontari quæ uolunt, sed etiam teneantur quærere de omnibus ad cognitionem necessarijs ab utraque

D

parte,

parte: & monere alterutram partem, vbinam eorum actio obscura esse, aut claudicare, & nondum satis probationum habere uideatur. Obligentur etiam, se inuicem instruere, si cui forte quid fuerit notius, magisque perspicuum, quam alijs. Quo (ut in piorum coetu conuenit) omni studio, vi ac ratione veritas piarum sententiarum, & foeditas errorum in lucem producat, possitque verum retineri, et falsum condemnari.

Decimo. In agenda quoque causa, aut in Disputationibus, post propositam propositionem, non recitentur integrae orationes, vt plerumque fieri solet, Sed tantum unum, duo, aut ad summum tria argumenta aut testimonia, idque qua breuissimo, simplicissimo, maximeque proprio sermone pene Dialectice. A quibus porro non liceat discere ad alia, priusquam illa fuerint liquido explicata, uel confirmata uel refutata. Hoc enim multo est aptius ad veritatem inquirendam, singula uidelicet argumenta simplici sermone breuiterque recitata ordine examinare, quam multa congerere, confundere, & eadem subinde repetere, nec quicquam satis discutere, vt ferme in Lipsica Disputatione, fraude Aduersariorum, nequicquam querente Lutero, sub initium instaurati Euangelij, factum est. Hoc enim modo lente cauteque festinando ac progrediendo, tandem opere Christi intra aliquas angustias falsae sententiae concludentur, manifestaeque vanitatis conuincuntur, & seductor ueluti anguilla, aut etiam tortuosus serpens tanquam forcipe comprehendetur ac constringetur. Quare ista lenta festinatio & certius & citius rem expediet, quam aliorum praecipitatus cursus.

Vndecimo. Quia porro hic non est Epidicticum seu ostentatorium certamen de laude ingenij, eruditionis, memoriae, aut eloquentiae, sed de inquisitione veritatis, liceat  
vtrique

utrique parti, cum ei uideatur, resque postulat, petere medi-  
ocre spacium expendendi altius argumentum aut rationes  
Aduersarij, consulere libros, & alijs subsidijs imbecillita-  
tis humanæ uti, modo non sit astuta & subdola tergiuersa-  
tio, procrastinatio ac temporis extractio. Quas, qui malas  
causas habent, cupide sectari solent. Liceat & quoscunque  
uolunt consulere. Quandoquidem omnes promouere ve-  
ritatem tenentur siue Iudices siue alij.

Duodecimo. Teneatur etiam utraque pars alteri si-  
mul & Iudicibus semper scripto quoque sua argumenta  
simplici ac perspicuo (ut dictum est) sermone proponere,  
ut tanto certius eorum rationes ab omnibus complecti ac  
expendi queant.

Decimotertio. Utile esset etiam eos, qui potissimum  
delecti erunt ad iudicandum & pronuntiandum, ante om-  
nia perlegere ac expendere Scripta publica, saltem potio-  
ra, utriusque partis in prædictis Controuersijs, quo instru-  
cti causæ cognitione, ueniant, nec ibi tantum temporis  
eos frustra conterere necesse sit.

Decimoquarto. Quoniam etiam in Adiaphorismo  
magna causæ pars pendet ex facti certitudine, Ideo liceat  
quoque uiuos testes citare, quibus de talibus actionibus  
aut rebus certo constet, etiam si in medio iudicum sede-  
ant, aut alioqui aliorum subditi ministriue sint. Idque eis  
fraudi nequaquam apud suos Principes esse deberet.

Decimo quinto. Si rei errorum, causas suas in hac Syno-  
do pertinaciter tueri uolent, ac conuicti fuerint, expectent  
etiam censuras Ecclesiæ usitatas. Sed si ultro cedere & una  
nobiscum errores & scripta eos continentia diserte ac pub-  
lice damnare uolent, contenti sane esse uolumus, ut eorum

D ij

personis

personis Amnistia concedatur, nec diserte retrocare cogatur: licet id quoque sit contra ueteris Ecclesiae piam seueritatem & causae magnitudinem. Ne uideamur de quoque superbos triumphos quaerere, aut etiam publicam concordiam, cuius cupidissimi sumus, perniciose remorari.

Decimosexto. Ut uero singulis sufficiens tempus dicendi & agendi detur, ut absint omnia conuitia, acerbitas, importunitas, & omnia maledicta, quibus quidam nimium regaliter, aut tyrannice potius abuti, & alios minoris autoritatis premere, exagitare, & ueluti pedibus conculcare ac opprimere solent, monitione inter Theologos & Christianos uix opus esse deberet, adeo per sese haeres petitionesue iustae notaeque sunt, etiam imperitissimis, utpote, quae ad ipsum ius gentium pertineant.

Decimo septimo. Vocem decisiuam merito solus Christus, quem unicum Magistrum à coelesti Patre audire iussi sumus, eiusque uerbum habere debet, si Christiana Synodus uocanda est, ita ut uni aut duobus perspicuum DEI uerbum afferentibus magis credendum sit, quam alijs omnibus, sicut Protestantes status in recusatione Tridentinae Synodi copiose declararunt, & olim in Nicena Synodo, S. Paphnutio pro coniugio Sacerdotum dicente, pie factum est. Recitabimus hic etiam memorabilia uerba praedictae Recusationis hac de re.

Denn in einem Christlichen Concilio sol Christus vnd sein heiliges Wort allein uocem decisiuam haben/ das ist/ alle dinge nach dem Wort Gottes/ vnd der heiligen Schrift/ vnd gar nicht nach menschlichen vnd Bepflichen sätzen ober gut bedüncken/ so dem Wort Gottes zu wider/ werē/ frey in gemein/ vnd von der ganzen Kirchen/ niemand ausgeschieden/ fürgenomē/ erwogen/ vnd erörtert/ die  
Wahrheit.

Warheit handgehabt/die Lügē vñ alle falsche verfürische  
vnd Antichristische lere vnd misbreuche frey öffentlich ge-  
strafft / vnd zu gebürlicher besserung gebracht werden.  
Vnd solches dergestalt/das auch einer oder zweene / die ire  
meinung mit gewissem wort Gottes erweisen/mehr gelten  
sollen/denn die anderen alle/die ire meinungen mit Gottes  
klaren vnd unzweueligem Wort nicht können beibringen  
oder erhalten / Wie denn solches bey den Aposteln / als  
Act. 5. zusehen / Auch folgendes im Concilio Niceno/ mit  
dem Paphnutio / vnd anderen Christlichen Concilien/ge-  
schehen Denn dem ewigen göttlichem Wort sollen billich  
alle menschliche satzungen vnd sünde weichen. Vnd dar-  
umb komen auch in einem Christlichen Concilio viel leu-  
te zusammen/nicht das sie in Gottes vnd Glaubens sachen  
ein mehrers sollen machen/Sondern darumb/ob vnter vie-  
len Leuten etliche gefunden würden/die den befelch vnd Le-  
re Christi/ober die sachen/so man handelt / eigentlich wiss-  
sen/vnd mit heiliger Schrift lauter vñ klar darthun könd-  
ten/das man dieselben vnd den rechten Leremeister Chri-  
stum hören/vnd sonst niemands/ wenn der gleich so viel/  
als des sandes im Meer/ weren/folgen solle etc.

Decimo octauo. Omnia Synodi acta, praesertim au-  
tem decreta, aut formulæ seu articuli claro, proprio, & ap-  
to sermone, citra omnem ambiguitatem, exponantur, &  
tum affirmatiue tum negatiue, theses, hypotheses, & anti-  
theses ponantur, expliceturque diserte, quid uel uerum uel  
falsum, uel bonum uel malum, uel sequendum uel fugien-  
dum esse Synodus decernat. Nam isti cothurni ambigua-  
rum generalium & obscurarum formularum, quæ iam in  
usu esse in Religione quoque incipiunt, cum nec in poli-  
tia quidem ab honestis hominibus ferantur, aut ferri debe-

D. ij. ant,

ant, tum **DEVM** contumelia' afficiunt, veritatem cum errore commiscent, conscientias implicant & illaqueant, & denique maiora ac tristiora dissidia, scandala, ruinasque in Ecclesia subinde pariunt ac parient in omnem posteritatem.

Decimo nono. De fine scopoue Synodi supra in prima quaestione dictum est. Id igitur ipsum iam in exitu Synodi summa fide ac diligentia praestetur, ut scilicet veritas in hac Synodo quaesita ac explicata, ueluti argentum septies repurgatum, & ab omnibus scorijs mundatum, aut ueluti lumen accensum, in illustri loco ponatur, totique Ecclesiae Dei publico decreto commendetur. Et contra errores, tanquam immundae quaedam scoriae, aut potius uenatae faeces ac fermenta Satanæ, expurgentur, explodantur, & in perpetuum, ut ab omnibus uitari possint, anathematizentur.

Vigesimo. Sunt & aliae conditiones pia Synodi olim saepius Papistis à nostris propositae, ut de obligatione decretorum Synodi & alijs, quae etiam in tali Synodo merito obseruari deberent.

Vigesimo primo. Agantur igitur omnia sic, tanquam in luce, ut filios lucis ac Christi Ecclesiam decet, ut etiam acta lucem ferre possint, utque ea, quae pie ac rite acta conclusaque fuerint, in publicum edere omnino liceat, nec politico aliquo consilio aut prudentia in aeternos carceres tenebrasque, ut colloquia cum papistis, concludantur.

Vigesimo secundo. Ante omnia uero id omnino statuatur, ut quae manifeste ex verbo Dei decreta fuerint, serio constanterque obseruentur: in primis tamen, ne errores semel damnatos liceat reuocare, ut nunc, proh dolor, à quibus



quibusdam doctis & Potentibus maxima cum Ecclesia  
perturbatione & pernicie facitatur.

SED OBIICIET hic aliquis, vt maxime de omni-  
bus alijs conditionibus conueniat, tamen de ludicibus non  
conuenturum. Nam nec nos laturos esse eos, quos lapsos  
fuisse dicamus, nec illos viciffimi laturos esse nos tanquam  
suos Aduerfarjos.

Respondemus. Dicitum supra est, Non homines ul-  
los, sed ipsum Dei verbum, aut etiam dilectum Patris cœ-  
lestis Filium in tantis rebus ac controuersijs nostrum iudi-  
cem esse oportere. Vt igitur maxime talis aliqua difficul-  
tas nobis sese obijciat, tamen, si modo de alijs regulis Syno-  
di, & præsertim, ut placide, ordine, ac ex oraculis Dei, ne-  
glecta omni humana potentia, sapientia & profopolipsia  
disputetur, conuenire queat, & in electione iudicum iustus  
delectus habeatur, Synodoque pñ Principes intersint, uel  
etiam præfint, non desperamus nos, Domino iuuante, ver-  
bo Dei & euidenti veritate ita errores & seductores in an-  
gustias conclusuros, conuicturos & confuturos, ut om-  
nes cupidi veritatis cernere possint, quid uerum aut falsum  
sit, quis iustam iniustamue causam tueatur.

Spiritus Domini est, qui arguit & redarguit Mun-  
dum de peccatis, prauis iudicijs ac erroribus. Et Scriptu-  
ra est ad confutandum & corrigendum utilis. Sicut plu-  
rimum hætenus, contra Papistas disputauimus & proba-  
uimus, verbum Dei omnium controuersiarum iudicem re-  
gulamque esse debere. Conueniamus igitur inodo in no-  
mine Domini, & recta ratione placide ac christiane ex  
norma Dei conferamus, mox profecto, Deo benedicente,

D iij

appa

apparebit Principibus & omnibus ueri cupidis quidnam  
verum aut falsum, pium aut impium sit.,

Hæc ita æqua & pia esse certo statuimus, ut neutri par-  
ti sint magis commoda quam alteri, nemoque vere dicere  
possit, aut ausit, nisi impudentissimus calumniator, nos his  
ce conditionibus effugium aut elusionem simulate Synodi  
astute quæsiuisse. Soli enim ueritati inquirendæ hæc condi-  
tiones longe aptissimæ sunt, cui in Christiana Synodo, im-  
mo & in tota rerum natura & uita omnia inseruire merito  
deberent. Ea enim uere, ut & Plato inquit, omnium bono-  
rum causa aditusque est Dñs atque hominibus, nosque &  
liberat & sanctificat, ut Dominus ac Seruator noster Chri-  
stus testatur.

Vsitatum ac plane quotidianum est, defugere ac re-  
cusare iniusta tribunalia suspectosque iudices. Nos uero  
& exemplo nostrarum Ecclesiarum cum Papistis de hac  
eadem re agentium, & magnitudine causæ, quæ non no-  
stra sed Dei est: & denique iam etiam experientia impo-  
tentis quorundam superbix, & uiolentæ Tyrannidis mo-  
nemur ac mouemur, ut caute circumspecteque tantam rem  
agere, nec qualemcunque conspiratorum hominum cater-  
uam aut factionem, sed Christianam ac certis iustisque le-  
gibus ordinatam atque circumscriptam Synodum, expeta-  
mus. Possemus etiam non pauca veteris Ecclesiæ exem-  
pla recensere, ubi pñ doctores suspecta concilia aut concilia-  
bula potius defugerint ac recusauerint, quod nobis imi-  
tari nequaquam turpe fuerit.

Quamquam autem non dubitamus, has regulas &  
conditiones æquissimas, & Deo omnibusque uere pñs ac  
intelligentibus probatissimas esse, meritoque in pia Syno-  
do obseruari deberi: tamen non recusamus, quin (sicut &  
supra

supra protestati sumus) si quis aliquid aliud ad inquirendam veritatem aptius, & sacris literis magis consonum Deoque gratius reperire queat, eum audire eiusque sententiam approbare libenter uelimus.

Indicamus igitur atque proponimus hæc ita, non, ut alij quidam, quo nobis superiorem aliquem locum vindicemus, nobisue Pontificio more ius aliquod, leges alijs ferendi, arrogemus, sed tanquam fideles ministri Christi, & fratres aliorum, qui non uellemus maximi momenti negotia, ad gloriam veritatemque Dei, & totius Ecclesiæ utilitatem multorumque salutem pertinentia, protelari, & in aliquas noxias angustias ac fraudes præcipitari, sicut non raro fit, ut uel astutijs aliquorū, uel etiam potentia, audacia, & conspiratione veritas, eiusque Confessores opprimantur. Quæ incommoda ut omni modo præcaueantur, & precibus & pia prudentia vigilantiaque laborandum pijs omnibus est, tum doctoribus tum gubernatoribus.

Non igitur dubitamus, omnes bonos Deumque timentes hanc sollicitudinem & diligentiam nostram in meliorem partem, pro suo Christiano candore, accepturos esse, & pro sua pietate & prudentia adiuturos & promoturos. Quod uti faciant sedulo, ex animo eos suppliciterque oramus ac obsecramus.

**T**VAM VERO CELSITVDINEM ILLVSTRISSIME Princeps, visum est nobis inprimis ad promouendum hoc sanctissimum & Ecclesiæ Dei utilissimum negocium implorare suppliciter, tum propter alias grauissimas causas, tuasque insignes laudes, quas iam enumerare nolumus, uel inuidiæ, uel cauendæ suspitionis turpis adulationis gratia, quæ cum alijs omnes graues viros non deceat, certe Theologos omnium minime: tum præsertim

E

sertim

fertim propterea, quod manifesta experientia nos conuincit, Deum familiae generiue tuo singulariter veram pietatem, Religionem, ac Ecclesiam commendasse.

Nam primum, sub eius regimine patrocínioque veritas exorta est, virque Dei Martinus Lutherus libere docuit. Deinde nemo ob eam plures actiones, labores, ac sumptus, immo & pericula ac ingentia damna, quam tua Celsitudo eiusque Maiores pertulit. Vt uere præclarissimum illud Dei beneficium, licet Mundo contemptum ac exosum, hic quoque cum Paulo celebrare possimus ac debeamus, qui inquit, Vobis datum est, ut non solum credatis in Christum, sed etiam patiamini propter eum,

Tertio, iam quarta successione uestras C. Deus uero pietatis studio exornauit, quod nusquam uel inter Iudaicos Reges, qui in singulari Dei patrocínio, & ipsius Seruatoris Maiores fuerunt, accidisse legimus. Plerumque enim pio Patri impietissimus Filius veritatisque persecutor successit.

Postremo, cum ab instaurato Euangelio propemodum in omnibus Regionibus foedæ corruptelæ, errorefue, non raro etiam probantibus uel certe coniuuentibus ipsis Gubernatoribus grassati sint, solæ ferme hæ regiones, quæ T. C. eiusque Maioribus subiectæ fuerunt, dum illi ipsis præfuerunt, Dei beneficio puræ remanserunt.

Hæc tot indicia voluntatis præsentiaque diuinae circa T. C. eiusque Maiores, liquido nobis contestantur, Deum singulariter uobis suæ Ecclesiae Religionisque curam commendasse, ac per uos in posterum quoque salutaria sibi que grata opera effecturum esse. Quod ingens familiae  
suae

suæ decus aut diuinum priuilegium Celsitudinem tuam & agnoscere, & in timore Dei seruare, ac obseruare omnino conuenit. Nec enim sine causa D. Paulus dicit, Væ mihi, si non euangelizem.

Ob hanc igitur potissimum causam, ut taceamus alias, tuæ primum Celsitudini, ac pientissimis eius Fratribus, deinde per eam etiam alijs omnibus Principibus, Comitibus, Ciuitatibus, ac Statibus, quibus veritas curæ cordique est, supplicare, de conuocanda Synodo volumus, suppliciter orantes eam, vt omni studio ac diligentia, propter gloriam Dei, & Ecclesiæ utilitatem, multorumque æternam salutem in hoc incumbat, vt aliqua pia Synodus primo quoque tempore conscribatur ac conueniat, in qua veritas illustretur, errores confutentur ac reijciantur, & denique dissensiones ac controuersiæ in Ecclesia pie tollantur, doctoresque rursus in Christo recte uniantur, atque ita veritas, pietas, ac concordia, sublatis erroribus & certaminibus floreat.

Longum, & non necessarium esset, hic commemorare uel dicta Scripturæ, quibus Deus id Magistratibus iniungit, vt cum eos iubet gestare gladium, vt sint bono operi honori, & terrori malo, vt sint nutritij Ecclesiæ: vt aperiant portas Christo, eius Regno ac veritati, utque discant et erudiantur, & filium osculentur: uel etiam exempla ueterum Regum tum Iudaicorum, tum Romanorum, qui Synodos ad discutiendas Religionis causas pie utiliterque conuocauerunt. Quare cum hæc omnia T. C. sint longe notissima & meditatissima, nihil opus est ut à nobis nunc ociose recensentur.

Nec dubitamus alios quoque Principes ac Theologos, etiam eos, qui de erroribus accusantur prompte ala-

E ij

riterque

critereꝫ Synodum hanc comprobaturos, ac omni studio promoturos, vtpote, qui toties etiã publicis Scriptis, & in actionibus, ad Synodum prouocarũt, eamque se omnibus uotis expetere sunt protestati, Quam & aliꝫ Vuormaciæ vrserunt ac flagitarunt.

Certe prodigiꝫ ac portenti instar esset, istos eximios, qui tam splendide de toto corpore ac synceritate suæ doctrinæ publicis scriptis contra omnes protestantur, non audere in tali Synodo ac luce Ecclesiæ comparere, aut uel Pontificio more exleges ac ἀνωθεν ὄντες esse, nec illi Paulinæ, aut potius Spiritus S. Regulæ subiectos esse, Prophe-  
tæ uero duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Porro si aliꝫ fuerit reuelatum assidenti, prior taceat.

Quod si qui male sibi conscꝫ lucem defugere ac piam liberamque Synodum impedire conabuntur, nullaque omnino spes apparere poterit, breui aliquando talem Conuentum in nostris Ecclesijs colligi posse, tum saltem uel indagatur, ut cum consensu aliquorum, quibus magis Religio curæ est, & illustrissimi Principis Augusti, quandoquidem sub eius potissimum dominio sunt ij, qui de erroribus accusantur, circiter decem aut plures graues uiri, quorum fides in ministerio, in periculis cognita est, ac in uerbo Dei eruditi sunt, præsertim Theologi, vtrinque delibentur, coram quibus tres istæ postremæ Controuersiæ exponantur, cognoscantur, ac ex uerbo Dei, ut supra exposuimus, rite dijudicentur: Aut saltem experimentum ali-  
quod dirimendæ Controuersiæ fiat. De qua forma iudiciꝫ actionisue extant etiam quorundam ex nostro numero publica Scripta, ad quæ nos referimus. Hæc certe ratio non ita difficilis est, nec adeo magnis sumptibꝫ constabit.

Intelligimus porro quosdam Magdeburgæ ante annum.

num, Deinde Fuldae, ante aliquot menses, Postremo nunc etiam Augustae impediuisse Conuentum atque Synodum Theologorum, quos sibi male conscios esse, aut certe Ecclesiae Religionique non bene cupere omnino apparet.

Iniquissimum uero est, quod quidam dicuntur flagitare consensum in Librum Francofortensem, antequam nobis liberam Synodum promittant. Synodus enim haec potissimum ideo institui deberet (ut & supra dictum est) quo praesentes Controuersiae Religionis dijudicentur, veritas comprobetur & errores explodantur, & tandem, ut etiam ij, qui accusantur, suarum actionum, scriptorum, & sententiarum rationem reddere possint. At formula Francofortensis est, ne quid iam acerbius dicamus, Cothurnus Sectis & seductoribus aptus, omnibusque praesentibus corruptelis dat aeternam amnistiam, & a nemine eas ullis unquam temporibus accusari aut damnari debere sancit. Haec enim sunt eius uerba.

Das alles dasjenige / so sich in vergangenen Zeiten in einem oder in den andern Wege zugetragen habe / vergessen vnd nimmermehr gedacht werden solle etc.

Ante ergo quam ueniamus ad Synodum iam Spiritui sancto erit os per tale decretum & subscriptionem occlusum, ne per quenquam arguat Mundum aut Seductores de ullis peccatis uel erroribus. Quid ergo ibi faciemus? Hoc nimirum est, quod iste Theologus in suo consilio pontificaliter suadet, ut Potentes prius concludant, quam ad Synodum ueniat. Quod quidem iam perfectum uidemus. Quid tandem opus est, fuit, aut erit unquam ullam Synodum congregari, si pauci potentes cum uno aut altero Theologo possunt omnia recte concludere? Quo

E ij

argue

argumento & Lutherus Pontificis tyrannidem merito exagitat ac confutat ?

Synodus deberet habere primum ac potissimum pro norma iudicij ipsum Dei Verbum, ac secundum id liberrime loqui, agere, & iudicare. At isti volunt nobis primum humana autoritate articulos fidei præscribere, secundum quos credamus, sentiamus, doceamus, loquamur, & iudicemus, Postea demum nobiscum agere. Quos si non acceperimus, tanquã pro excommunicatis nos habebunt, Immo & proscribi nos ex omnibus Regionibus uolent.

Estne hæc, quæsumus, libera ac Christiana Synodus, ubi iam humana circumscriptione & Iudicibus & actoribus quasi quædam compedes vinculaque iniecta sunt, ne libere, secundum verbum Dei, loqui, aut iudicare errores, uel condemnare queant ? Quis unquam simile quid ausus est propalam in Ecclesia Dei agere aut postulare ? Turpe profecto esset, ipsos Papistas tale quicquam à nobis flagitare. Hoc enim est, quod in foro dici solet, Processum ab exequutione inuerso ordine inchoare.

Omnino apparet, quosdam Doctores sibi male conscios esse, ac id astute agere, ut nuditati ac turpitudini suæ ficulnea perizometa magnæ dignitatis viri circumsuant, quo nemo amplius de eis iudicare, eorumque errores arguere ausit. Sed illis quidem liceat quicquid modo libeat, ac ius sit iudicare de alijs: De ipsis uero nemini, non aliter atque Romanus Pontifex tyrannice decerint, in C. cuncta 9. q. 3. & c. si Papa dist. 40.

Vt autem supplicationem hanc, Princeps Illustrissime, concludamus, te propter Dominum IESVM oramus ac obsecramus, ut curam veritatis, instar maiorum tuorum, maximo animo non iam capeffas, quod dudum præclare



clare fecisti, sed habere aut gerere pergas, nihil desperans  
de mediocribus successibus, licet sit nobis impedimento  
horrenda ingratitude vulgi erga veritatem, & ipsa Dei  
ira, quam ut ille clementer mitiget omnes pii orabunt. Nā  
Satanæ, impiorum, & Seducorum impios conatus facilius  
contemneremus. Instabit igitur T. C. etiam apud alios  
Principes, Comites, ciuitates & ordines Augustanæ Con-  
fessionis, ut & illi pientissimum istum conatum summis vi-  
ribus adiuuent & promoueant.

DOMINVS AVTEM IESVS CAPVT AC  
Rex noster (qui ideo ad dexteram Patris sedet, ut det do-  
na ad ædificationem Ecclesiæ, quique ideo Spiritum suum  
mittit, ut nos omnia doceat, ac in omnem veritatem dedu-  
cat, vtque per os piorum Doctorum Mundum, & omnes  
impios ac Seducos arguat de peccatis, erroribus ac fu-  
roribus) celebret ipse Concilium cum dilectissimo Patre  
& Spiritu sancto, veritatemque apud nos clementer con-  
seruet, & ad omnes homines propaget, errores omnes &  
impietates, scandala & Schismata tollat: & denique  
omnem lachrymam ab oculis nostris aliorumque  
piorum extergat, vt eius nomen sanctificetur,  
Regnum adueniat, & voluntas vbique fiat,  
AMEN.

**E**T EGO NICOLAUS AMSDORFFIVS SVBSCRIBO, ET CONSEN-  
tio in Synodum inter nostros, nequaquam autem cum  
Aduersarijs. Nam in tali semper periclitatur fides &  
veritas. **Man mus in solchen Synodis nachgeben / So  
weis ich jnen nichts nachzugeben.**

Simon Musæus D. Professor Theologiæ in Schola Ienensi.

Ioachimus Morlinus D. Superintendens Brunsvuicensis.

Fridericus Bachofen S Theologiæ Doctor.

Nicolaus Gallus M. Superintendens Ratisponensis.

Iohannes Vuigandus Superintendens Magdeburgensis.

Balthasar Vuunther Pastor & Superintendens Ienensis.

M. Bartholomeus Rosinus Pastor & Superintendens Vinariensis.

M. Iohannes Frederus Superintendens Vuismariensis.

M. Casparus Molitor Superintendens Orlamundensis.

M. Iohannes Aurifaber Vinariensis aulæ Concionator.

M. Matthæus Roth past. r. Lindauensis.

M. Georgius Nekerus Pastor Lindauensis.

M. Matthias Flaccius Illyricus.

M. Vuolfgangus Vualdner Pastor Ratisponensis.

M. Michael Deustzman Pastora Naumburgensis.

M. Martinus Vuolffius Pastor Calensis.

M. Anthonius Otho Pastor Northusanus.

M. Iohannes Bohemus Ecclesiastes Naumburgensis.

M. Matthæus iudex Diaconus Magdeburgensis.

M. Iohannes Sander Diaconus Ecclesiæ Naumburgensis.

M. Iohannes Oberndorffius Diaconus Ratisponensis.

M. Ioachimus Magdeburgius Pastor Osamstedensis.

Eadem est sententia & pctitio præcipuorum Concionatorum in Comi-  
tatu Mansfeldensi, qui una cum alijs suis Collegis etiam pctunt a suis Do-  
minis talem synodum promoueri: & hanc Supplicationem comprobant,  
quod eorum literæ testantur. Idem etiam uotum est Vuestphali & aliorum  
constantium Doctorum per Saxoniam. Quod eorum literæ ad Illyricum &  
alios testantur.

Correctura.

B. 3. parag. 2. uer. 1. lege pro Osciandrisum, Osiandrisum. C. 1. a parag. 3. pro  
Maiorismis l. Majorismus C. III. a parag penul. pro philargia l. philarchia.  
D. I. a parag. 3. u. ult. pro intertius l. interitus. pag. ult. parag. 2. uerf. 3. pro ide  
l. inde.

AB: 154187

ULB Halle  
002 491 346


3




VD 17

K







SVPPPLICATIO  
QVORVNDAM THEOLOGO-  
RVM, QVI, POST OBITVM LVTHERI P.M.  
corruptelis & Sectis, voce aut scriptis contradixerunt, pro  
libera, Christiana, & legitima Synodo, ad Illustrissimum  
Principem, D. D. Johannem Fridericum II. Ducem  
Saxoniae &c. eiusq; C. Fratres, ac alios pios  
Principes & Status Augustanam Con-  
fessionem amplectentes.



QVod Consortium iustitiae cum iniustitia? aut quae  
communio luci cum tenebris? aut quae concordia Christo  
cum Belial? 2. Corinth. 6. An nescitis, quod paululum fer-  
menti, totam massam inficit? Expurgate itaq; vetus fer-  
mentum, vt sitis noua conspersio. Tollite malum de me-  
dio uestri 1. Cor. 5. Si quis igitur aliud Euangelium docue-  
rit, anathema sit. Gal. 1. Haec est vera, & a Spiritu sancto  
sancita norma regendi Ecclesiam, sanandi eius vulnera, &  
conseruandi puritatem doctrinae, non humanae sapientiae  
Amnistia, nunc Sapientibus vsitata.

Anno M. D. LX.

